



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd nulli, papa viuento, alium eligere liceat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De accusatis episcopis. Cap. CCXXI.

Ex decre. Felicis pa. ca. 4. **S**I primates accusatores episcoporum cum eis pacifice re familiariter minimè potuerint, tunc tempore legitimo eos ad synodum canonicè conuocatam, nò infra angusta tēpora canonicè conuocent, & prius eis per scripta significant quod eis opponitur, vt ad responsonem parati adueniant. Nam si aut vi, aut timore eiekti, aut suis rebus expoliati fuerint, nec canonicè vocari ad synodum possunt, nec respondere æmulis debent antequam canonicè restituantur, & sua omnia eis legaliter reddantur.

Quòd non ita in ecclesiasticis agendum sit negocijs sicut in secularibus. Cap. CCXXII.

Ex decre. eiusdem, cap. 16. **N**on enim in ecclesiasticis agendum est negocijs, sicut in secularibus. Priusquàm legibus vocatus venerit, vt quum in foro decertare cœperit aliquis, non licet ante peractā causam recedere. In ecclesiasticis verò causa dicta recedere licet, si necesse fuerit, aut si se pregruari viderit.

Quòd nulli papa viuentis alium eligere liceat. Cap. CCXXIII.

Ex decre. Symmachi papa cap. 3. **S**i quis presbyter aut diaconus, aut clericus papa incolu mi, & eo inconsulto subscriptionem pro Romano pontificatu cōmendare, aut pitacio promittere, aut sacramentum præbere tentauerit, aut aliquod suffragium polliceri, vel de hac causa priuatis conuenticulis factis deliberare, atq; decernere, loci sui dignitate & cōmunionem priuetur.

De sessione episcopi. Cap. CCXXIII.

Ex cōcil. Carthagi. **I**n Ecclesia in confessu presbyterorum, episcopus sublimior sedeat.

Item de ordinatione episcopi. Cap. CCXXV.

Ex dictis Theodori archiepiscopi. **I**n ordinatione episcopi, ipse qui ordinat Missam celebrare debet, & qui ordinatur similiter.

Quæ sacerdotes Dei declinare debeant. Cap. CCXXVI.

Ex cōcil. Turonē. cap. 1. **Q**uæcunque ad aurium, & ad oculorum pertinent illecebras, vnde vigor animi emolliri posse credatur, vt de aliquibus generibus musicorū, aliisque nō